S. LAURENTIUS

coll. complete
4°. [31] ll. (no ult. blank)

First edition

SANCTI LAVRENTII presbiteri Nouarum, scriptoris perantiqui, Homiliæ duæ.

Vna de Pœnitẽtia, altera de Eleemosyna, ad uitæ emendationem pietatem'q; perq̃ utiles, typis hactenus nusq̃ excusæ.

Prostant apud Michaelem Vascosanum, Via ad diuũ Iacobum, sub Fontis intersignio.

INCIPIT HOMILIA SANCTI LAVRENTII PRESBITERI. NOVARVM. DE POENITENTIA.

DVO SVNT TEMPORA AB ALtiſſimo præſtituta: in quibus datur duplex hominibus remiſſio peccatorum. Eſt nanque remiſſio publica, & eſt remiſſio priuata. Publica tempus ſuũ habet, priuata ſuũ exercet tempus. In publica fons eſt indulgentiæ, in priuata fructus eſt pœnitentiæ. In illa donũ dei, in iſta labor hominis. In illa baptiſma, in iſta pœnitudo. Et quæ ſunt iſta tempora debent agnoſci. Tempus primum eſt ab Adam uſque ad CHRISTVM. Tẽpus ſecũdũ eſt à CHRISTO uſque ad conſumationem ſæculi. Hæc ſunt duo tempora. In primo quid eſt? Peccatum Adam quod CHRISTVS ſoluit. In ſecundo quid? peccata propria, quæ labor hominũ & ſolicitudo extinguit. Illud generale eſt, hoc ſpeciale. Aduerte quod dicitur, Peccatũ Adam quod in filiis eius perficit, diuina clementia abſtulit. Sarcinam illam in ſe ſuſcepit ſaluator, & euertit: quando? In primo tempore, Vbi? in fonte baptiſmatis fluuióq; Iordanis, ibi clamabat Baptiſta, digitóq; oſtendebat cœleſtẽ principem dicẽs, Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Peccatum mundi quid eſt? Delictum

Adam per traducem ſeminis ad filios deuolutum. Agnus igitur dei CHRISTVS tinctus in flumine, tulit noxiam ſarcinam à patre in filios deriuantem. Nephas illud peſſimum à ſerpēte ſuggeſtum: in fonte intinxit, in flumine aboleuit, in carne cremauit. Tulit debitum unius & donauit indulgentiã cunctis. Caput curauit, & ſana ſunt omnia mēbra. Verum ab hoc fonte, uel indulgentia generali, aliud iam exoritur tempus, commiſſa peccata non aqua delet, ſed pœnitudo remittit. Et hoc tempus utrunque Pſalmiſta Dauid in quinquageſimo pſalmo notauit. Primum tempus poſuit, ubi per CHRISTVM loquitur in pſona Adam. Et quid dicit? Incerta, inquit, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. Et quæ ſunt iſta? Incertum fuit ſaluari Adam lapſum in mortem, ſed manifeſta facta eſt & redemptio eius in carne, & remiſſio eius in aqua. Vidi in ſpiritu quomodo clementia tua miſſa per unigenitum, & patrem recepit de crimine, & filiũ donauit ſaluti. Ecce incerta ſapientiæ tuæ, quæ mihi tua dignatio reuelauit. Quid ergo Adam? ipſe eſt qui per CHRISTVM exultat in Dauid dicēs, Dñe aſperges me hyſſopo & mũdabor. Culpa em̃ mea me obruit, immo crimē præuaricationis fœdauit. Sed aſperges me hyſſopo, id eſt aqua uiua, & mũdabor. Aſperges me aqua filii tui ſacro ſanguine miſta, & mũdabor, lauabis me, & ſup ni-

uem dealbabor. Lauabis me in illo uẽturo fonte & mystico flumine, in quo nõ solũ crimen meũ extinguetur, sed & candor meus quem recepturus sum, & iam super niuem excellet. Futurũ est genitor, ut mittas filiũ tuũ unigenitũ qui auferat malũ de mũdo quod per me introductũ est, & nõ fraudẽtur filii in facinore patris. Ille aperiet uiã salutis, ille reserabit remissionem fontis, & crimen meũ abolebit in aqua & spiritu. Asperget me gratiæ suæ guttis, & mundabor. Lauabit me ignifero lumine, & super niuẽ dealbabor. Hęc est primo tẽpore remissio generalis. Videamus quid in secũdo. Item Psalmista declarat. Usquequaq; laua me ab inustitia mea, & à delicto meo munda me. Ecce tẽpus, & tempus. Superius Adam, inferius Dauid. Ibi lauacrum est aquæ, ubi dicit, Lauabis me, & sup niuẽ dealbabor. Hic lacrymę sunt pœnitẽtiæ, ubi dicit Dauid, Usquequaque laua me ab iniustitia mea, & à delicto meo mũda me. Illud publicũ, hoc priuatũ. Illud gratiæ, hoc clemẽtiæ. Illud omniũ, hoc singulare. Illud mysticum, hoc morale. Abluitur Adam in corpore CHRISTI, ut ueterẽ abiiciat hominẽ & induat nouũ. Abluitur Dauid ĩ corde cõpuncto ut reformet in se speciẽ quã crimen fuscauit. Ille renouatᷣ in fonte, iste reparatᷣ in fletu. Illũ gratia curauit, istũ gemitus reformauit. Qui cõmissum suũ hirsuto corpore dolet, & lugẽs peccati sui ante se pingit imaginẽ ita

afferens. Vſquequaque laua me ab iniuſtitia mea. Quare uſquequaque? quia iniquitatem meam ego agnoſco,& delictũ meũ cõtra me eſt ſemper. Tanquã ſi ita diceret, Sanaueras me domine iam ante in patre meo Adam,quãdo mẽbra illius in te ſuſcepta tinxiſti in fonte,abluiſti ĩ flumine. Liber exiſtebam beneficio tuo, nec potui indultã mihi gratiã retinere. Iterũ em̃ in meipſum erraui. A patris delicto liber effectus,proprium commiſi delictum. De publico ereptus laqueo, priuatum incurri. Nõ eſt iam fontis nec aquæ præſidium. Quid faciam, aut unde piabor? Nunquid mereor iterum indulgentiæ tuæ imbre perfundi,generaliꝙ lauacri flumine delui? Abſit. Non ego iam aquæ munus repetam quod ablui. Semel petam quod ſemel conceſſum eſt. Ex mea me inopia redimo: ex meo me labore perfundo. Eſt in me exiguus quidã humor, qui non me more torrentis infundit, ſed modico ſudore inrorat. Laboris mei me guttis ablui quæro,uerborúmque ſcintillis : uirus in me conceptum exuri deſidero. Vſquequaque laua me ab iniuſtitia mea. Non iam aqua, ſed opere laua me. Non baptiſmatis fonte,ſed pœnitentiæ rore. Quia delictum meum cõtra me eſt ſemper. Vidi me: cognoui factũ meũ: ſtat ante me delictũ quod me deformauit. Vquequaque laua me ab iniuſtitia mea,quia cognoui quod feci,quod ego cognoui tu dignanter

ignosce. Despice tu quod ego inspicio. Sufficit me uidere hoc. Tibi displicui, auerte faciem tuam a peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Quare? quia delictum meum cõtra me est semper. Scriptũ est in corde meo, exaratũ est sub oculis meis, fixum est in conscientia mea. Ablue tu, quod ego scripsi, exime q̃d ego depinxi. Hæc in figura plorata sunt, induxi in speculũ quinquagesimi psalmi, in quo ad aspectũ nostrũ & primi temporis, & secũdi gemina imago resultat. Primi in Adam, secundi in Dauid. Licet ambo siue Adam siue Dauid, primi temporis spacio concludantur. Spiritus est sanctus qui loquitur in prophetis, & tempus utriusq; a se distinguit, ut præuaricationis uenia signetur in Adam, pœnitẽtiæ munus exoluat in Dauid. Sermo nanq; propheticus & præcedentem faciem temporis, & sequẽtẽ depingit in psalmo. Vobis igitur dilectissimi sermo iste cõponitur, ad uos dirigitur ista assertio. Vobis hæc disputatio clarũ profectum habitura ingeritur, in quibus calor fidei, peccato forte interueniente perfrixit. Mens perdita obstupuit, spes deprauata liquescit. Omnisq; futurorũ intẽtio aporiata torpescit. Dum secum unusquisq; perpẽdit sibiq; reputat, ac intra se loquitur ita. Quid facturus sum modo, quid super agendum est mihi, aut quid restat sperãdũ? Redẽptus fui, & factus sum seruus. Liber fuerã, & factus sum seruus peccati. Perdidi

gratiam largitoris, amiſi beneficium redemptoris. Claro corpore egreſſus de fonte, cœno me iterũ in mundo perfudi, limóque fœdaui. Purus de gratia dei, factus ſum de propria intemperãtia perditus. Error meus de filio famulum, de intimo inimicũ, de hærede exterũ. Violaui ſymbolum meũ, corrupi pactum in ipſo ueſtibulo fontis conſcriptum. O quã infelix cõditio. O quam miſeranda conſilia. Operibus me diabolicis renuntiaturum ſpoponderam, & implere nõ ualui. Malis quibus carui, in ipſis relapſus contaminor. Euangelicam tunicam, rurſus in pellicia cõmutaui. Stolam meriti quã mundã texuerã, labe uitiorũ fuſcaui, & nouũ hominẽ iterũ uetuſtate contexi. Quid nunc requiro, aut quid expecto adhuc, ubi quæro fontem, aut ubi inuenio baptiſma? Nũquid eſt reſpectus ad aquã. Nunquid recipiet me adhuc unda, ut me reformet in utero aquæ & pariat innocẽtẽ? Aut forte quærere debeo adhuc dexterã ſacerdotis, quæ me mergat in fontẽ & inde iterũ purificet? Hæc tecum loqueris tu, hæc tecũ tractas cõſciẽtiæ tuæ onere prægrauatus? Sed quæ ſunt hæc uerba tua, o homo? cognoſce te eſſe imaginẽ dei. Sapientẽ te fecit deus, prouidũ animo, mente myſticũ, ſenſibus ſublimen, & uult te non perdere ſed ſaluare. Non perimere ſed protegere. Quare tu deſperas, quando ille non deſpicit? Conſcientiã tuam formidas, & ad caput indulgentiæ nõ

festinas. Quid putas esse fontem qui concepit? Aut quid æstimas esse undã aquæ quæ te peperit? Nũquid aqua est media aut unda in causa? Absit. Sed disce mysterium. Prudentia tua fons, & in te intellectus tuus aqua est inundans, habẽs aspectum cordis ut uideas temetipsum. Accepisti mentem altiora petentem, sta in altitudine mentis tuæ quasi imago dei, & de speculo hoc deifici operis profunda rimaris. Habes arbitriũ & sensum de deo cõcessum. Delibera te cum sis imago dei, quomodo non possis extingui. Si est in te prudentia, si habes cõsilium, & proprium mentis arbitrium, deus in te est. Ipse tibi erit pœnitẽtia, & fons, & baptisma, & remissio, qui nũquã in te nec desinit nec deficit. Quid ambiguus æstuas, quid resolueris animo, & inter inepta tædia conscientiæ tuæ fatigatus torpescis? Peccasti post fontem, lapsus es post baptisma, fecisti crimen post indulgentiam generalem. Quid nũc perit iam spes? Nunquid intercepta est retributio? non est ita homo. Quid circũduceris? signum accepisti de fonte, nõ desperationis sed miserationis. Non defectionis sed remissionis. Non ut unquam desperes. Signum acceperunt Iudæi. Quale? circũcisionis. Signũ acceperũt & Christiani. Quale? miseratiõis. Ecce signũ in Iudæis, cirũcisio carnis. In Christianis, circũcisio cordis. Sed satis hæc illa præstãtior. In illa sanguis incisionis, in hac aqua remissionis. Ibi plaga carnis,

hic palma pietatis. Ibi obſeruantia rigida, hic in-
dulgentia regia. Et hoc utrūq; ſignaculum CHRI
STVS pendens in patibulo prænotauit, quando
de uulnere ſuo & aquam eduxit & ſanguinem. Vt
ſanguinis ſignaculum daret Iudæis, aquæ uero in-
dicium gentibus Chriſtianis. Signum ergo tu acce
piſti de fonte, non iudaicum ſed euangelicum. Ex
illa die illaq; hora qua egreſſus es de lauacro, ipſe
tibi es fons iugis & diuturna remiſſio. Nō opus ha
bes doctore, non dextra ſacerdotis. Mox aſcendi-
ſti de ſacro fonte, ueſtitus es ueſte alba, & unctus es
unguēto myſtico, facta eſt ſuper te inuocatio, & ue
nit ſuper te trina uirtus, qui nouum uas hac noua
perfudit doctrina. Exinde teipſum ſtatuit tibi iudi-
cem & arbitrū. Deditq; tibi notitiam, ut poſſis ex
te diſcere bonum & malum, Ideſt inter meritū &
peccatum. Et quia non poteras manēs in membris
corporisq; cōpage, liber exiſtere a peccato, immu-
nisq; eſſe à noxa, poſt baptiſma remedium tuū in
teipſo ſtatuit, remiſſionem in arbitrio tuo poſuit,
ut non quæras ſacerdotē cū neceſſitas flagitauerit,
Sed ipſe iā ac ſi ſcitus pſpicuusq; magiſter, errorē
tuū intra te emēdes, & peccatū tuū pœnitudine ab-
luas. Itaq; deſinat duritia, ceſſet deſperatio, deſinat
ignauia. Fons nūquā deficit, aqua intus eſt, ablutio
in arbitrio eſt, ſanctificatio inſolertia eſt, remiſſio in
rore eſt lacrymarū. Nolite reſoluere in ſegnitiā, fōs

est in homine ppetua pœnitudo cõseruatus. Ibi est pœnitẽtia ad uocem baptistæ qui sic uociferatur in heremo,& penetrabili clamore desertas hominum mẽtes exaggerat dicẽs, Pœnitẽtiã agite adpropinquabit enim regnũ cœlorũ. Nemo potest supni imperii habere apicẽ, habere fastigiũ, nisi fuerit pœnitẽtiæ suffragio fultus. Ad regni supni penetrabilia nõ puenit quisq̃, nisi egerit pœnitẽtiã. Repetit adhuc baptista, Ego inquit baptizo uos aqua in pœnitẽtiam, sed alter est post me ueniẽs qui uos baptizabit in spũ sancto & igni. Noli tu iã quærere neq; Iohãnẽ, neq; Iordanẽ, ipse tibi esto baptista. Pollutus es post lauacrũ, uitiata sunt uiscera tua. Cõtaminata est anima, tinguere in aqua pœnitẽtiæ, ablue te abũdantia lacrymarũ, exuberet fons compunctionis in extis tuis. Exundent aquæ uiuæ in fibris tuis. Para te uenienti domino, & ipse te baptizabit in spiritu sancto & igni, habens uentilabrum in manu sua, qđ est inspectio, uel põderatio pœnitudinis ac peccati. Ipse ppẽdit in te utrũq; pondus, ipse inspicit in te molẽ & molẽ. Vnam pœnitentiæ, & unã pestilentiæ. Et pœnitentiæ quidẽ fructus, ac si triticũ cõgerit in tuũ profectũ. Peccata uero tua quasi pestilẽtiæ paleas, cõburit igni inextĩguibili. Hæc est priuata remissio, intimo corde prouocata, & pœnitutudine adquisita. Multa sunt repetenda, plurima

replicanda. Genus hominum fragile eſt, & lubrico ſemper greſſu incedit. Natura corporalis obnoxia eſt, rebus cõtrariis. Paſſionibus etenim diuerſis, ac uitiis ſubiacet. Nec tantũ de propria puritate, quantum de diuina pietate dirigitur. Et ſi hodie quis cõfidat de merito, de robore animi, de uigore uiſcerũ, craſtino fallitur ac decipitur. Sic enim proteſtatur Apoſtolus dicens, Et qui ſe putat ſtare uideat ne cadat. Carcer eſt uero qui animæ fortitudinẽ premit & claritatem contaminat. Laqueus eſt ſemper imminens, iugiterq́ʒ inſidians. Laqueus eſt peſtifero lapſu protenſus in uia. Et inde eſt quod clamat propheta, in uia hac qua ambulabã, occultauerunt laqueum mihi. Et iterum. Iuxta ſemitam ſcandalũ poſuerũt mihi. Implicatur plerunqʒ anima in hoc corporeo laqueo, & ſi uelit, & ſi nolit, nec liberatur ſponte, prius quam diuino ſuffragio per pœnitudinem ſupplicans ut ait iterum propheta, Benedictus dominus qui nõ dedit nos in captione dentibus eorũ. Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo uenantium. Laqueus contritus eſt, adiuuante domino & nos liberati ſumus. In laqueo hærebat anima erepta eſt non ſuis uiribus, ſed diuino præſidio. Et quis eſt iſte laqueus. Niſi caro quæ animam in propoſito ſuo bene currentem uexat ſemper, carpit iugiter, capit frequenter.

Eſt enim

Eſt enim unus ſtimulus per membra inſidians dico quomodo in oculis eſt laqueus grauis. Aut non cognouiſti quemadmodũ anima non dicam ſæpe, ſed ſemper captiuatur in aſpectu? Vnde auaritia inſidiatur, unde libido incēdit, niſi de corporali aſpectu? Vidiſti laqueum fortem. Nec immeritò ſcriptum eſt, Nequius oculo quid eſt factum in homine? Et iterum, Intrabit mors per feneſtras ueſtras. Et lingua tua laqueus eſt inſanabilis: ſpargit enim uenenum maledictionis, blaſphemiæ, ſuſurrationis, detractionis, & non ſolum corda ſed etiam exulcerat animã. Et inde eſt quod obſecrat ille præſul pœnitentiæ dicens, Pone domine cuſtodiam ori meo, & hoſtium circunſtãtiæ labiis meis. Nec minus interſerit alter, Quis dabit cogitationi meæ flagellum, aut quis imponet ſuper labia mea ſignaculum? Certe ut tunc loquar quando nõ eſt tacendũ, & quod prompſerit lĩgua nõ mordeat, ſed nutriat animam. Sonabit uox aduerſa in auribus, & homo interior ſtimulatur in ira, cõcitatur in cæde. Vides quia & in auribus laqueus permanet? & inde illa ſcripturæ commotio ſonat, Sepi aures tuas ſpinis, noli audire linguam nequam. Laqueus eſt in manibus, ut dictum eſt, iniquitatem manus ueſtræ concinnant. Et iterum, Vt quid mihi ieiunaſtis quando ſubditos uobis conpungitis, & percutitis pugnis humilem? Quid dicam de noxio pedum inceſſu,

cursuq́ꝫ cruore infecto, ut est illud, ueloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Has nanque insidias corporales, hos laqueos singulorũ membrorum de corpore eruendos sententiis suis decernit Saluator. Si oculus tuus dexter, si manus tua uel pes scandalizat te, id est animam tuam diuina desyderantem, cœlestia cogitantem deprauant. Si laqueis suis te implicãt, aut fraude sua nituntur uisus eruere, abscinde nõ manum aut pedem, sed pestilentiam tibi per hæc membra morbumq́ꝫ illatam. Quapropter dictum est, Si oculus tuus dexter te scandalizat, si manus dextra uel pes, nisi quia omne quod bonũ est dextrum dicitur, similiter malũ appellatur sinistrũ. Et est pars dextra, & est pars sinistra. Dextra suos retinet probatos, sinistra suos æque reprobatos. Ad dextros quid dicit CHRISTVS? Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum uobis ab origine mundi. Quid ad sinistros? Discedite à me maledicti in ignem æternum. Vides quanta dissensio est in sinistro & dextro? quid igitur si oculus tuus dexter scandalizat, disce quid est quando committis peccatum, oculo tibi ministrante dulce tibi & dextrum uidetur. Et dextrum hoc tunc corrigitur in sinistrum, quando residente domino & discutiẽte peccata, cœperis inter multos alios & ipse audire. Discedite à me maledicti, peccatores, iniusti, in ignem æternum. Scandalizauit te

uit te oculus, ſubripuit, delinquis, per uiſum te implicauit, erue eum. Quid iubet eruere? oculum, an peccatum? Oculum ſuggerentem cõmiſſum. Nunquid oculus peccauit quia uidit, an magis animus delinquit quia concupiuit? Cæterum ſi per cuncta peccata uel ſcandala, non animi cupiditas reprimenda eſt, ſed effodiendus eſt oculus quia uidit, nullus iam habiturus oculos eſt. Nõ eſt quiſquam, ut arbitror, cui oculi remanebunt, quia nõ eſt inter mortales qui non cõcupiſcit, aut ſcandalizatur, aut peccat. Homo ne inculpaueris oculum ad gratiam tibi conceſſum, cuius beneficio lumen uides, ornatus eſt capitis, ſpeculum eſt membrorum, totiúſque corporis feneſtra gratiſſima. Noli hunc inculpare quia cernit, ſed inculpa quæ cernit, ſed inculpa tibi ipſi, quia concupiſti. Erue, non oculum de capite, ſed errorem de corde: euelle, non aſpectum corporeum, ſed concupiſcentiæ crimen: non eſt iuſſum oculum delere, ſed crimen euellere. Dexter fuit oculus, quando tibi obduxit ſcandalum, hoc eſt quod dicit, quando te inquinauit & polluit. Sed erue eum contraria fortitudine. Noli te uulnerare cogitare, ſed ad uincendum te præcin'ge. Eſto armiger pœnitentiæ, & protinus euertes peccatum. Dulce fuit uitium cum delectarit anima, ſed fiat tibi nunc dulcior pœnitudo, quæ

non ſolum delectet, uerumetiam nutriat animam. Cõcupiſti malum, uicit te cupiditas, perpetraſti nephas. Erit animis tuis dexter oculus, id eſt dulcedo peccati. Erue oculum iſtum ſiniſtro conſpectu conſertum, qui te non illuminat ſed contenebrat: & de dextro tranſfert te in ſiniſtrum. Sed dicis malũ hoc quod aſſeris à me extirpãdum. Intus eſt oculus iſte nephãdus. Nõ uidetur in pectore: habetur in corde cõſcientiæ fixus. Quali arte ualebo eum eruere, qui nec manu contingi poteſt, nec digito erui aut euelli? Vis oſtẽdam tibi manum, & digitum, & artem qua poſſit euelli? Quando percuſſiſti pugnis humilem, induxiſti in te peccati oculum. Quando porrexiſti manum tuam ad ſubleuandũ humilem, ad ſatiandum inopem, eruiſti de corde tuo nequitiæ oculum, qui te ſcandalizauit. Vides quali manu, digitoq́ꝫ & arte noxius ille euellitur oculus qui te de dextro dirigit in ſiniſtrum? Dulcia ſunt uitia dum in actu ſunt, ſed fiunt protinus amara poſt actum. Mel inquit ſtillat ex labiis meretricis: & hoc dulce. Ad tempus quidem ungit gulã, impinguat fauces: nouiſſime uero conuertitur in amaritudinem fellis: & quod fuit dulce ad tempus, fit amarum in fine. Feſtina igitur & ne tardus exiſtas ad corrigendũ te de ſiniſtro in dextrum. Cecidiſti per oculum: cõtaminauit te aſpectu ſuo: abluat te aqua ſua. Induxit in te laqueum: eruat te de laqueo. Habet enim

in ſe

in ſe magnũ lacrymarũ auxiliũ. Impulit te obſcœnis ſordeſcere actibus, turpiq́; mucrone caput abſcidit, id eſt auaricia aut libidine. Age tu, exerce te contra talẽ oculũ, erige te contra aſpectũ tuũ, agita uenas cordis tui quæ tendunt ad oculũ & dic illi: Ocule ad te recurro, tibi imputo. Exue quod implicaſti. Tu me uulneraſti, tu me ſana, tu me polluiſti tu me purifica. Ablue quod inquinaſti, erige qđ eliſiſti. Corrige quod euertiſti, abſolue quod per ſcandalum obligaſti. Tu uidiſti, ego concupiui, tu inſpexiſti & ego peccaui. Vidiſti aurũ, uidiſti poſſeſſiones aliorum & prædia, cæcauit ambitio, cœpi uelle quod meum non erat, cœpi auferre aut argumento inuadere aliena. Tali me ſcandalo obcæcaſti. Quid dicam de fœminea ſpecie, quantum intuẽdo eam collapſa eſt anima, effœminata ſunt uiſcera, & quaſi concupiſcentiæ ſagitta percuſſus de quodam præcipitio corrui. Da modo liquorẽ tuũ, & dele peccatum meum. Irriga me imbribus tuis, irruant aquæ tuæ & obruant crimina mea. Hæc loquere cum oculo tuo, qui te ſcandalizauit. Præterea percipe te in futurũ iudicium. Punge uenam cordis tui pœnitentiæ ſtimulis, & de imo corde atq; de intima mente, educas aquam uiuam in capite profluentem. Fiat caput tuum fons remiſſionis & fluuius indulgentiæ, & exinde non ſolum per dextrum oculum, ſed & per ſiniſtrum gemini riui cur-

rant,fluantq́ꝫ tibi ambo oculi pariter ſanitatis rorē ac indulgētiæ imbrē. Vult enim indulgentiſſimus cognitor,ut fletus purget, quod uiſus polluit, et qđ fœdauit cupiditas,reformet cōpūctio, ut eruas de corde peſtiferū oculū,plangēs & ingemiſcēs & dolēs. Sicut dolens Hieremias propheta cū populum plangeret tranſmigratū,ſic dicens, Quis dabit capiti meo aquā,aut oculis meis fontē lacrymarū? & ille quidem populū deplorauit captiuū. Tu autē ingemiſce pro anima quā cupiditas uiolauit, & oculus dexter fecit degenerem. Sic eruēdus eſt oculus, ſic abſcindēda eſt manus,uel noxia membra. Nam ubi auaritia,ibi manus dextra, dentibus uenenatis armata, ut percutiat, ut affligat, ut auferat aliena. Vbi libido,ibi dexter oculus noxio aſpectu armatus,qui modicū delectat,& multū nocet,qui uiderit (īquit)ad cōcupiſcēdū mulierē, iā adulterauit eā in corde ſuo. Vidit oculus,concupiuit caro, peccauit anima.Fleuit iterum oculus, abluta eſt caro, abſoluta eſt anima. Auaritia, infandū eſt uitiū in hominibus.Radix eſt una in præcordiis fixa, ex qua pullulant oīa mala. Quid eſt auaritia? cupiditas radix omniū malorum.De iſta radice exurgunt mendacia, oriuntur periuria. Qui enim eſt aut diſtractor, aut emptor,qui lucri gratia habet de cupiditate tractatus,nam plerūqꝫ peierat. Sæpe mentitur? ſine hoc uitio negotiator, aut rarus aut nullus eſt.

Et quid dico negociatorẽ, impoſtorẽ uſos cũ mertiis? Videamus quæ res facit prædones, aut unde erũpunt proditores. Nonne de auaritia prædo fuit rex Ahab, quando per factionem doloſæ mulieris falſa, ſub proditione iuſtum trucidauit, ut uineã eius uiolentus inuaderet? Auarus fuit & Iudas cũ proderet CHRISTVM Iudæis, cum acciperet ab eis triginta argenteos. Tolle auaritiam, & non eſt diſcordia, aufer auaritiã, & ſolus amor regnat. Deſinat auaritia, & ceſſat ambitio. Tolle cupiditatẽ, & nemo dicit hoc meũ, aut hoc tuũ. Fraus inde germinat, dolus inde conſurgit, factio inde concinnatur, iræ quoq́ʒ, inſidiæq́ʒ, homicidia, bella ipſa ſiue publica, ſiue inteſtina, cupiditatis & auaritiæ fructus ſunt. Et ſi quando uel armis, uel argumentis, alter alterum uel ſuperauerit, uel trũcauerit, res eius uelut uictor diripiat, ſuamq́ʒ auaritiam ſuppleat. Et hoc eſt quod ſcriptura teſtatur Apoſtolus dicens, Radix omnium malorum eſt auaritia. Diſce diligenter quid ſit in homine. Duas habet in ſe duorum malorum fixas radices, quibus repugnando intra uexatur & carpitur. Et quæ ſunt iſtæ radices? una eſt auaritia, & una eſt luxuria. Auaritiæ radix ubi eſt? in cupidine mẽtis. Luxuriæ ubi eſt? in uoluptate membrorum. Cupiditas nãq́ʒ mẽtis, in auaritia inardeſcens, armat manus, pedesq́ʒ, & facit in his forenſe peccatum, & crimen extra

corpus. Radix uero luxuriæ quæ ſuccis membro-rũ nutritur, uenarumq́ humoribus irrigatur, cogit ipſa uiſcera in obſcœna cupiditate delinquere, & facere peccatum inteſtinum. Igitur eſt peccatum auaritiæ, & eſt peccatum luxuriæ in membris. Duo ſunt in homine capitalia crimina. Vnum intus, & unum foris. Vnum in membris, & unũ extra mẽbra. Eſt peccatum luxuriæ in membris, & eſt peccatum auaritię extra membra. Et ut credas hoc ita eſſe quod dicitur, audi eundem Apoſtolum proſequentem. Omne peccatum quodcũq; fecerit homo extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. Sed dicis. Si pedes currũt ad prædam, ſi manus diripiunt, quomodo poteſt abſq; corpore eſſe peccatum? Non eſt quidem dubiũ quod omne peccatum, membris miniſtrantibus perpetratur. Sed aliud eſt, per membrum committere, & aliud in membra delinquere. Per membra enim quod committitur, in hoc animus delectatur. Carnis autem uoluptas, hoc nec ſentit nec recipit. Et ideo dictum eſt, omne peccatum quodcũq; fecerit homo extra corpus eſt: libidinis uero faces, ardentéſue, furias, intra ſe cõtinet caro, ex radice luxuriæ pullulãtes. Dulcibus nãq; illicebris ad modicũ excitatus uel expreſſus humor, trahit ad ſe ex imis uiſcerum uenarumq́ medullis totius corporis uoluptatem. Quod ubi Apoſtolus intentiſſime inſpexit, abſolute

abſolute fixit ſententiam dicens, Qui autem fornicauerit in corpus ſuũ, peccat. Væ mihi quid acturus ſum homo fragilis, qua uirtute ualebo tantæ atrocitati reſiſtere, duorũ in me conſiſtentiũ uenena, qua ſorte poſſum uitare? Si radix auaritiæ multiforme crimen exulcerat animã: ſi radix luxuriæ ignitas libidinũ faces miniſtrat, quibus uiſcerũ medullis exurit. Quid faciam? quæ uirtus in me? aut quæ ſubſtantia mea? Viuunt in me duo ſerpentes pariter: auaritia & luxuria. Mordent ſemper, exulcerant iugiter: collidunt frequenter, & ſtare contra tales beſtias propria uirtute non poſſum. Si aquæ iam adminiculum non eſt, ſi ſpiritus ſanctus deeſt, quis me liberabit de corpore mortis huius, quis me eruet ab hac nequitiæ mole, morſuq́ꝫ ferali? Homo noli diffidere, res in promptu eſt, uita in manu eſt, uirtus in uoluntate eſt, uictoria in arbitrio eſt. Si uoluiſti, uiciſti, ſi nolueris, uictus relinqueris. Qui uult uincere, conatur ut uincat. Qui deſperat, amiſit uictoriam. Quid times cupiditatis crimen, uel auaritiæ facinus? Noli timere. Radix iſta omniũ malorum, id eſt auaritia, habet aquam propriã. Et aqua iſta quæ eſt, niſi eleemoſyna? Non audiſti quid ſcriptũ eſt? Sicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatũ. Magna hæc ſentẽtia, deſinat quærela, deſinat dubitatio. Nam ubi eleemoſyna, ibi aqua: & ubi aqua, ibi ſpiritus: & ubi ſpiritus, ibi

remiſſio. Deſinat deſperatio. Aqua & ablutio & re
miſſio in eleemoſyna largientis eſt. Ne differas ab=
lui inquinatũ corpus & animã fontibus eleemoſy=
næ, ut redeas rurſus in præmiſſi baptiſmatis for=
mam. Sicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna
extinguit peccata. Tanquã ſi ita dictum eſſet, Sicut
aqua extinguit ignẽ ardentẽ, ſic eleemoſyna diſcer
pit auaritiam, funera hominumq́ crimina, uincula
funeſta diſrumpit. Vidiſti aquã eleemoſynæ. Vis
ſcire quòd & luxuria & libido in aqua eſt? Pecca=
tũ corporis inceſtat. Nunc aquã habet cõtrariam.
ubi? nonne in oculis? & meritò de corpore. De ocu
lis ſtillat aqua, quæ totius corporis contractus diſ=
ſoluit, & abluit fœditatem. Nã ſicut peccatũ quod
extra corpus eſt, eleemoſyna fulminat & extĩguit,
ſic uitiũ libidinis quod mẽbra inceſtat, lacrymarũ
ubertas extirpat. Ergo peccatũ quod extra corpus
eſt, propriũ habet fontẽ eleemoſynæ, & flagitiũ q̃d
intra corpus cõmittit, ſuũ habet fontẽ ex oculis ꝓ=
fluẽtẽ. Vt ſcias tu q̃a eleemoſyna auaritiæ flãmas re
ſtinguit, & libidine fuſcata uiſcera ꝓfuſis iterũ fleti
bus albẽt, meritumq́ receptãt. Sed q̃diu uerba ĩnui.
Accipe euãgelica documẽta, accipe duos duorũ cri=
minũ indices. Habes publicanũ, habes & meretricẽ,
publicanũ in auaritia, meretricẽ in luxuria. Crimi=
nũ præſules facti ſũt, diuinæ miſericordiæ indices.
Vis ſcire quõ iſti duo uicerũt, & criminoſa cõtagia

euaſerũt? Saluatus eſt publicanus. Qua manu? Nõne ꝑ eleemoſynã. Recepta eſt meretrix, quo præſidio? nõne ꝑ lacrymas? Sed cauſã replicemus. Agnitus, inqt dñs IESVS ꝑambulat in Hierico. Et ecce uir nomen Zachæus homo peccator, auarus, diues ex rapinis, & hic q̃rebat uidere dñm IESVM ut ſciret q̃lis eſſet: nec poterat eũ uidere turbarũ obſtipatione ſecluſus. Modicæ nanq; ſtaturæ erat. Cõtigit inuenire eũ arborẽ ſycomorũ: aſcẽdit feſtinus & uidit. Quid uidit? ſaluatorẽ ſęculi. Bene feſtinauit, optimè aſcẽdit, qui dũ auidus cupit uidere ſaluatorẽ, ſalutẽ ipſam quã ignorabat inuenit. Et quid dicã uidit? ante uiſus eſt q̃ uideret. Trãſiuit, inquit dñs IESVS: uidit illũ, dixitq; ei, Zachæe, feſtina, deſcende, hodie nanq; in domo tua me manere oportet. Dñe quid eſt hoc quod dicis? Nunqd nõ ſunt fideles ꝗ ad talem hoĩem applicas? Publicanus eſt Zachęus, ĩmo princeps publicanorũ, peccator eſt & prædo: uidere te uoluit tãtum. Nunquid de ſola uiſione iã debet ſaluari. Aſcendit in arborẽ ut uideret. Si autẽ nec dum uidit actuſq; ſuos necdum ĩgemuit. Nunquid confeſſus eſt maculã ſuã? aut flagitia replicauit? Nunquid fleuit ante te, aut fecit eleemoſynam ĩ peccatis ſuis, & adhuc homo ꝓphanus, & dicis illi, hodie ĩ domo tua me manere oportet? uix dhuc uel uidere te meruit, & iam angulos eius uiſitas, hoſpitiumq; amplecteris. Verũ hoc officii tui eſt ĩdulgẽ

tiſſimæ curæ,qui nō ueniſti iuſtos inuitare,ſed peccatores corrigere. Manes cum publicanis,manducas cum peccatoribus,iungeris cum iniuſtis,ut hac ſocietate quaſi arte quadam eos conuertas,& corrigas ad ſalutem.Zachæe deſcende,inquit,quia hodie apud te me manere oportet.Et quid Zachęus? deſcendit confeſtim de arbore,iam uerbo dn̄i emēdatior. Aſpectus eñ dn̄i emendauit prædonem,& ſolo ſermone mutauit ſenſum eius.Deſcendit,perniciter ꝑperauit,exultans parauit hoſpiciū,ſuſcepit uitæ præſulem,& factus eſt filius Abrahæ.Manſit apud illum CHRISTVS,inſpirauit illi ignem ſecretorum,ignem fidei,ſpiritus ſancti occultū ardorem,ut amore dei & calore fidei flagrans talia uerba depromeret,Domine,ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus. Audiſti quid dixit? Ecce dimidium bonorū meorum diſpergo pauperibus. Tanquam ſi ita diceret,Modo uidi, modo cognoui. Saluator,nō ex me ſed ex te facta eſt correctio mea,perſenſi prædas meas,penſaui actus peſtiferos quos in auaritia ꝑpetraui. Oro,obſecro, adiuua me miſerū & peccatorē. Ecce erogo quod abſtuli,ecce reficio indigentes quos læſi,ecce ueſtio quos nudaui:& ſi quid alicui fraude abſtuli,in quadruplo reddam. Vidiſti largitionem raptoris,inſtat adhuc dicendo, Adeſto domine, ego in quadruplo reddo quæ inique abſtuli.Tu cura criminoſum, tu ſuſcipe uotū

pe uotū

pe uotum meum, & ſana uulnera mea. Eruat elee-
moſyna quæ obruit auaritia. Indignantur quidam
& imputare conantur domino, cur ad peccatorem
diuerterit, & ĩ domo publicani manſitare uoluerit.
Sed quid dominus ad eos. Nunquid uos ita? Noli-
te ſic de me ſapere. An neſcitis quoniã publicano-
rum ſum & peccatorum ſaluator? Amen dico uo-
bis, quod hodie ſalus facta eſt domui Zachæi, quo-
niã & hic filius eſt Abrahæ. Salus illi facta eſt quo
niam ſaluatorẽ & uidit & cognouit, & recepit, &
p̄ceptũ eius impleuit. Non audiſtis quid dixit? Di
midiũ ſubſtantiæ meæ do pauperibus, & ſi cui ali-
quid defraudaui, reddo quadruplo. Quid uos indi-
gnamini talẽ operariũ? Tã maturè conuerſum poſ
ſum repellere & nõ libẽter recipere, & hũc deſpice
re tã cito trãſlato de malo ĩ bonũ, de præda ad pal
mã? Non uidiſti quia publicanus factus eſt indigẽ
tiũ præſul, & homo forẽſis meruit eſſe filius Abra
hæ? Nõ meminiſti quia filius hominis uenit quære
re qđ errauerat, ſaluare qđ perierat? Aſpicite publi
cani, intuemini peccatores, p̄tẽdite auari, fures, atq;
raptores. Videte exẽplũ Zachæi, Inſpicite qualem
inuenit fontis uenã aquarũq; fluẽta. Quibus ſe per
eleemoſynã ſpõte p̄fudit, ſordesq; ſuas oẽs in publi-
ca functione cõtractus diſtruxit. In Zachæo ſenten
tia illa abſolutè p̄ceſſit, Sicut aqua extĩguit ignẽ, ſic
eleemoſyna purgat pctm̃. Puſillus corp̄e, factus eſt

præclarus opere. Flagitioſus cõceptus, felix ſubito de eleemoſyna naſcitur. Modicus aſcẽdit arborẽ ut uideretur a CHRISTO, & uulgaretur ĩ mũdo. Arbor optabilis ſalubri medicamine plena, quæ in ſolo aſpectu ſubuenit peccatori, & ſanctificauit ꝓphanũ. Non talis inuenta eſt arbor iſta qualis illa principalis de qua dictũ eſt, Qua die manducaueritis ex ea morte moriemini. In illa ſerpens decepit ſimplices, in iſta ſaluator ſubuenit peccatori. Imitare & tu Zachæũ, aſcende in arborem animæ tuæ. Arbor eſt ĩ te, alta fides tua, & ſpecula excelſa. Sta in cacumine huius arboris huiusꝗ ſpeculæ, ut ualeas uidere Deũ, CHRISTVMꝗ trãſeũtem ſicut uidit Zachæus. Ille aſcẽdit in arborem quia non poterat uidere præ turbis. Te non turba hominũ retinet, aut caterua excludit, ſed habes inter uitiorum ſyluam, & cogitationis cateruas quæ mẽtem tuam obumbret, & aſpectum aporiant. Sed tu conuelle de corde tuo ſyluam iſtam malè umbrãtem. Repelle noxias cogitationes & conſciẽtiæ ſtrepitum. Relinque in animo tuo unam arborem limpidam, fructiferã, crucis ſtigmate præferentem, in quam aſcẽdens uideas & ipſe CHRISTVM ſicut uidit Zachæus, & dicat tibi, Amẽ dico uobis q̃d ſalus hodie homini iſti facta eſt, quoniã & hic filius eſt Abrahæ. Cõpũgere ꝓtinus in affectu uerborũ eius, & cõcipe animo cũ magna alacritate facere eleemoſynã. Por

rige modicũ,& promerere multũ. Eroga terrena, & exige sempiterna, sicut fecit Zachæus: qui dũ terrenã dispergit substantiã, nõ solũ cõgestã molẽ fõtibus eleemosynæ deluit, sed & iã heres regni cœlestis, & filius Abrahæ esse ꝑmeruit. Vidisti elegãtissimũ documentũ, uidisti Zachæũ nephas auaritiæ, eleemosynæ imbribus expiatũ. O quã singulare salutis cõpẽdiũ erogare pauperibus, & ablui de peccatis. Eleemosyna subito cõuersum hominẽ de peccatis, non solum purificauit, sed & iam coronauit, & fecit de publicano paradisi ciuem. Si suppleta est ratio, si cumulata est de stipendiis pauperum remissionis mensura, et sufficit tibi exemplum publicani, qui miserabiles actus trãsacti temporis, per eleemosynam, quasi per flumen indulgentiam traxit, atq; mundauit, seq; auaritiæ laqueo per erogationem eripuit. Accipe nunc aliud pietatis exemplum in muliere meretrice propositũ, ut possis euadere luxuriæ crimen, & fornicationis capturam. Retine quod præmisimus, quia duo sunt in homine capitalia crimina, auaritia & luxuria, & docuimus quod auaritiæ crimen calcauerit publicanus. Audistis enim quia erogauit esuriẽtibus, & euasit, Pauit paupes & meruit esse q̃d nõ erat. Nũc de luxuria erit sermo ĩ meretrice memoratus. Mulier a te exigimus q̃d multis ꝓfit. Meretrix, da nobis exẽplũ, ut sciamus q̊modo stuprata mẽbra tua nõ sunt

a deo despecta, sed magis recepta. Dic nobis criminosa, quatenus effecta es casta? Noli tacere publicana, sed ꝑ de nobis beneficiũ CHRISTI, & doce nos quo genere facta es de meretrice, uirgo. Audite causam, discite curã, quia princeps misericordiæ mirabilia fecit. Recepit meretricẽ, purgauit publicanũ, clarificauit corruptã. Pharisæus quidã noĩe Simon, CHRISTVM rogauit in domũ suã, & parauit illi cõuiuiũ ut ederet apud illũ. Ingressus inquit dominus dignanter discubuit. Et hoc quoq; miranda humanitas, ut ut deus in domo Pharisæi, & discũberet & ederet. Apud Zachæum mansit, apud Pharisæũ mãducauit. Et hoc quare? Nisi quia publicanorũ erat, & amicus & saluator? Sed discũbẽte illo etiam edente in domo Pharisæi quid factũ est? Ecce mulier peccatrix quæ erat in illa ciuitate, ubi cognouit quia ĩtrauit CHRISTVS, & recubuit in domo Pharisæi, subito q̃si meretrix audax intrauit in domũ, & attritã publicis aspectibus frõtẽ obtulit saluatori. Audacter intrauit nõ iã meretrix sed modesta, non libidinẽ expletura, sed lucẽ uisura. Intrauit nõ ad libidinis formã, sed ad indulgẽtiæ fontẽ. Intrauit non ubi iam ultra sordesceret, sed ubi contractas depõeret sordes, & stuprata uiscera dño miserante purgaret. Supergressa est a uita nec respexit ad Pharisæũ, sed recto limite direxit ad fontẽ, pudore priuata & pœnitudine armata. Et quid fecit?

Contulit se ad pedes CHRISTI, in toro recumbentis stetit anxia, curuatoq́ꝫ corpore pedes domini tenet rea, & remediũ elicit. Vritur, animo loquitur, tacet & gemit silenter, instat importunè pœnitudine stimulata, subrigit ad cœlum animũ, aspectumq́ꝫ defigit in terra. Illum solũ uidet quem tenet: illi pandit peccatum suũ, illi peccata detegit, & criminosam reserat conscientiam. Cor suũ supra pedes eius mistum cum fletibus fundit. Capillis etiã mollibus lacrymis perfusos pedes quasi linteo quodam detergit. Nec solum lacrymis abluere satis est & crinibus tergere, insuper de alabastro quod in manu tenebat unguento perfudit: ut pedes quos rigauerat unguento liniret. Atque in his tribus speciebus immunda mulier in lacrymis & capillis & unguento quasi fontem baptismi sui de pedibus CHRISTI extraxit. Nã in fonte baptismi quid aliud est quàm aqua & crisma & uestis alba? huic mulieri pro aqua fletus fuit, pro crisma unguentum, pro ueste capilli. O mulier peccatrix, multa adinuẽtio tua. Quis tibi mõstrauit talem, aut inuenire aut proponere artẽ? ut cõgesta in te crimina momẽtaneis lacrymis uinceres, crinibus raderes, unguẽto stirpares? Quid ergo? Intrauit, inquit, mulier peccatrix cum alabastro unguẽti, stetit iuxta pedes CHRISTI. Et quid saluator? Nunquid ignorabat eam? Nunquid nesciebat quòd esset publicana? hoc nephas est dicere.

Verum ubi uidit cõpunctã, iam nõ reppulit quasi publicanam, aut spreuit importunã, sed recepit dolentem, & amplectitur pœnitentem. Non ei imputauit ut erat imputandum. Non ei dixit dñs meretrix, adultera, fornicaria, fluida, tu uenis ad me, tu proximasti, tu ausa es pedes meos manibus pollutis contingere? Non uides massam malorum tuoruorum? calent adhuc in te crimina, membra tua feruorem libidinis spirant, corpus tuum criminosis maculis plenum est. Animam ipsam intus contaminationis tuæ funesta sarcina premit, & tu tãtis sceleribus deprauata ausa es uenire ad me? non illi sic CHRISTVS nec imputauit, nec dixit. Qui & si dixisset, illa talis mulier parata erat sine dubio contraria respõdere. Si dixisset illi CHRISTVS immunda mulier, fœdissima, contaminata, cessa, à me discede, nullam habeo cũ meretricibus causam. Habuit illa respondere ut hoc illi opponeret. Dñe rex cœlestis redẽptor mundi, quæ sunt hæc? quid descẽdisti de cœlo, propter iustos tantum? Et quanti sunt iusti, sic peccatores repudias? Vbi pplus tuus, aut quos medicus uenisti curare? Nunquid sanos? Absit. Sanis nõ est opus medicus, sed meretricibus opus est medicina. Publicani te pulsant, ut curam accipiant: peccatoribus uenisti porrigere manum, elisos erigere, cæcis reddere uisum. Medice, non me repellas uulneratam, & si me repellis, ego nõ rece-

do,sed iure meam de te exigo sanitatē:quia sanare uenisti saucios,non repellere. Teneo pedes tuos,nec ante discedo quàm percepero curā.Omnipotēs sus=scipe importunā, & noli despicere pulsantē meretricem.Ecce preciū tibi offero pro redēptione mea. Corrige ad me aspectū tuū. Et quid est qđ offero? Indigens sum, inops sum, nihil habeo in substantia præter lacrymas : & hoc satis tibi est. Scio ego ꝙ grata sit ista oblatio.Nō quæris pecuniā,sed exigis pœnitentiam. Nec libamina tantum quæris,quantum lacrymis delectaris.Sacrificium tibi est cor cō tribulatū & spiritus cōpunctus. Suscipe itaꝗ pretium pœnitētiæ meæ, & da mihi præmium indulgentiæ tuæ. Pastor bone dic mihi quæso,nunquid non sum de ouibus tuis? sed erraui de grege, & facta sum sicut ouis perdita. Quære ancillam tuam, & fac me de meretrice pudicam.Noli me despicere,non sum sola,multas habeo compares,& quàm maxima pars ouium tuarum in me est.Pastor excelse quære oues dispersas, & scabie contractas. Collige eas in unum, & imple ouile tuum. Tu nanque dixisti, Habeo & alias oues quæ non sunt ex hoc ouili, has oportet me aggregare ut fiat unus grex & unus pastor. Quæ sunt istæ aues, quæ non sunt de mandra tua? nunquid meretrices & publicani? nunquid peccatores,adulteri,& iniusti? Cæterum si hos repudiaueris uel excluseris,qui

remanebũt qui impleant ouile tuum? Prophetæ & Apoſtoli, martyres, uirgines, & continentes. Quanti ſunt ad integrum populũ? Si igitur præſcribitur peccatoribus, pauci intus & multi foris erunt. Sed quoniã redemptor es generalis & paſtor cõmunis qui ueniſti non perdere ſed ſaluare: collige corruptas oues & ſcabie cõſperſas ad caulas cœleſtes. Fac de omnibus unum gregem: & eſto omnibus unus ſicut promiſiſti & ſaluator & paſtor. Obſecro te ego mulier ut indigna, & tacita intra me prece depoſco, ſciens te eſſe errantiũ medicũ. Dolorem meũ uerbis ingemino, & actionem meam ſecretis ſingultibus premo. Eſto mihi aduocatus. Suſcipe cauſam meam, & ſolue compedes meas. Multum eſt quod merui tangere pedes tuos. Ego fletibus pœnitentiæ perfundo pedes tuos. Tu lumen indulgentiæ, dele crimina mea. Tãgo te ſaluator, ego ĩmũda mulier, & oſculor pedes tuos, non ut inquinem quod tango, ſed ut abluar ab eo quem tãgo. O meretrix, magna eſt fides tua, mira conuerſatio, clara confeſſio. Non te iam dicimus meretricem, ſed omniũ meretricantium medicam. De te enim capiũt multi recuperationis exemplũ. Sed cœpti capituli ordinem replicem. Phariſæus interea qui rogauerat dominũ, ubi uidit uelut indignam mulierem, ait intra ſe, Hic ſi eſſet propheta, non ſineret hanc mulierem tangere ſe, cuius ſciret infamiam. Illo ſic intra ſe perpendente,

dente,& proſperũ actum obſcurare nitẽte, cogita-
tũ eius cõprehẽdit dñs & detexit. Simon, inquit, ha
beo tibi aliquid dicere, At ille reſpondit, magiſter
dic, Fœnerator aliquis duos habebat debitores, unus
debebat quingẽtos denarios, alter quĩquaginta. Iſti
dũ non haberẽt unde redderẽt, dimiſit utriſq;. Dic
quæſo te, quis de iſtis duobus diligere plus debuit?
Reſpõdit Simõ & dixit: Quãtũ ego æſtimo ille cui
plus donauit. Dixit ei dñs, recte iudicaſti. Simõ ho
ſpes Phariſæe, collige ad te parabolã iſtã, neſcis qa
propter te illam protuli? Cur indignaris, cur uene-
num uerſas in pectore tuo? Cur contra factum bo-
num ſubrigis caput ſerpentis? Indignũ iudicas me
ſuſcipere mulierem fornicariam lacrymarũ fonti-
bus inundantẽ. Sed facis hoc quaſi incredulus phari
ſæus, dũ non uis me eſſe aut credere deũ. Amice fe
ciſti rem bonam, paraſti mihi conuiuiũ & prandiũ
exhibuiſti. Sed quid ad iſtã mulierẽ? Animus eius
plus eſt quam tua humanitas. Amor eius uicit tuũ
conuiuiũ. Non uidiſti quid fecit? Intraui in domum
tuam aquam pedibus meis non dediſti, hæc autem
lacrymis rigauit pedes meos. Oſculũ mihi non de-
diſti, hæc autem ex quo intrauit non ceſſauit oſcu-
lari pedes meos. Oleo nõ unxiſti caput meum, hæc
pedes meos unguento perfudit. Propter quod dico
tibi, remiſſa ſunt illi infinita. Phariſæe ex malo fer-
mento indignaris. Angit te quod ſaluauerim pul-

ſatricem,& a peccatis abſoluerim. Et quid hoc ad te mala intentio tua? Nunquid non licet mihi facere in meis quod uolo. An oculus tuus nequam eſt quia ego bonus ſum? Sed ſi tibi placet, collige ad te parabolam meam, aperi oculos tuos & uide. Tu feciſti conuiuium,& meretrix coronata eſt. Quare? quia multum dilexit, multum plorauit, multũ pœnituit. Plus ualuit apud me fletus meretricis, quàm tua fercula. Et inde duplo tibi prælata eſt fornicatrix, quando tu quinquaginta, illa quingentis compenſata eſt nummis. Nec immerito de uobis prædictum eſt, Quia meretrices & publicani præcedũt uos in regno dei. Et conuerſus dominus IESVS dixit ad mulierẽ: Fides tua te ſaluam fecit, uade in pace. Ecce quomodo patuerunt propoſita in duobus exemplis. Ecce quomodo crimina contrariis colliſa ſunt armis. Auaritiæ tela retudit eleemoſyna: Luxuriæ crimina lacrymæ reſtrinxerunt. Fœnerauit publicanus,& factus eſt iuſtus. Fleuit fornicaria & facta eſt ſancta. Quid tua ad hæc libidinoſæ prouocatus exẽplis deſperas? Forte dum diſplices tibi ipſi deſine deſperare,& diſce quid agas. Quãdo uis orare pro luxuria quæ in te eſt, aut erogare aliquid pro peccatis, ſcio quia reſiſtit tibi conſciẽtia tua, & reuoluit tibi infinitum numerũ peccatorum. Obſtrepit tibi ſilenter dicẽs: Quid quod oras, aut quid eſt quod erogas? Clades eſt intra te, ſcelerum te cu-

mulus urget. Et quanta eſt obſecratio tua, uel ero gatio? Quãdo ſic te obiurgat conſcientia tua, tu noli terreri, ſed oppone illi publicanum, obiice meretricem, & dic, Ceſſa conſciẽtia, noli mihi obſtrepere, noli obſiſtere. Eſt acceſſus ad deum, & locus remeandi ad CHRISTVM. Impius fuit publicanus, ſed non deſperauit. Fœnerauit publicanus, & factus eſt intimus. Fleuit meretrix, & facta eſt felix. Vt quid me corripis conſcientia? Vt quid me cõfundis & deprauare contendis? Si deus recipit, quis eſt qui retinet? Si deus iuſtificat, quis eſt qui cõdem nat? Chriſtiane quid tardas? Publicanum uides antequam adhuc pœniteret receptum & ambigis? Quid metuis? Vitium libidinis quo corpus polluitur & membra maculantur, quaſi non toto animo gemueris, abſolueris. Homo ſi cor tuum uides, uides uno momẽto ꝑ ſolas lacrymas ablutum, & dubitas? ſed dicis, Ecce compunctus oraui, aut fleui pro his quæ malè geſſi, aliquatenus merui domino indulgentiæ abſolui, poſt hoc ut eſt ipſa conditio ſi rurſus peccauero, quid facturus ſum? Nũquid iterũ flere debeo, aut indulgẽtiã flagitare? Aut nũquid eſt adhuc repedare remediũ? Reſpondeo tibi. Si quidẽ radix peccati in mẽbris tuis areſceret, uel ab animis tuis diſcederet, rectè hoc diceres. Si eñ ſtimulus carnis quieſceret, ſecurus eſſes nec

peccatum faceres, nec pœnitentiã quæreres, ſed ſemper quaſi Angelus illibatus ĩcederes. Quod ſi te naturalis concupiſcẽtia urget, & pũgit libido, quid facturus es fragilis? Vinceris ſubinde, flecteris frequẽter, & facis aliud quod deus non uult, facis illud qđ forte tuipſe horreſcis, ut ait Apoſtolus. Nõ qđ uolo ago, ſed quod odi hoc facio. Quid nunc? Ecce oraſti & adnuit dñs. Adiuuit pius, indulſit miſericors, euaſiſti peccatũ. Sed qui iam abſolutus es a ſtimulo carnis, ecce iterũ cogit conditio, cadere poſt ueniam impetratam, delinquere poſt indulgentiam, & poſt lacrymas iterũ lapſus incurrere. In hoc plane iam magnum interuenit odium & inæſtimabilis difficultas. Conari quidem debes toto animo, & pugnare pertinaciter contra carnis ſtimulos & concupiſcẽtiã cordis, ut uincas & nõ pecces. Sed ſi forte cõtra uotũ tuũ, cõditio carnis uicerit & cupiditas ſtrauerit in peccatũ, quid facturus es? debes iã deſpicere aut deſperare ſalutẽ? Noli ſic cogitare, Surge iterũ homo, ſurge, noli timere, noli iacere. Eſt qui recipiat & qui te non deſpiciat ſi ſurgis. Mox tu ſurgis, mox te erigis, iam non errorem tuũ deus, ſed animum reſpicit, nec peccatũ computat, ſed pœnitentiam penſat. Odit plane ſi te uiderit negligẽtem, aut reſolutum, aut pigrum, ſi te uiderit non laborantẽ in pœnitudine ſed remanentẽ in crimine. Talis nãq; eſt deus erga homĩes. Odit peccãtẽ, amplectitur

ctitur pœnitentē. Ergo cecidisti, noli diffidere aut differre, sed surge. Si per singulos dies erraueris, per singulos dies cōuertere, & emēda: hoc est em̄ quod à te expectat & exigit deus. Aut non audisti quō eius uox resonat p Hieremiā pphetā? Nūqd qui cadit nō resurget? aut q auersus est nō reuertet? Hoc nō de uno casu dicit, sed totius temporis lapsus testatur. Si enim contigerit sæpe cadere, plerunqꝫ delinquere, clamat ille semper & dicit, surge homo. Quid dicit? Nunquid qui cadit non resurget? Surge peccator & conuerte te ad me: quia nolo mortem peccatoris. Quantū, quotiens peccauerit, cōuertat se à uia sua maligna & uiuet. Hoc ita dicit, ut nō tu per multas ruinas ac si despectus, ac si desperatus deficias, sed subrigas te solicitior ac per singulos lapsus stes contra peccatū. Opponas illi lacrymas, obiicias eleemosynā, īterseras orationis excubias, ut pondus peccati pœnitudinis pōdere obruas & euertas. Sic persistentē nunquā deserit diuina clementia. In isto agone positus homo non per latam incedit uiam, sed angusto itinere pergit. Latam planè tenet uiam qui nō uult resurgere de ruinis. Angustam conficit semitam qui quotiens peccauerit redarmat & plāgit, & tenet semp pœnitētiā in uia angusta quæ ducit ad uitam. Huic dicitur sine dubio, Qui perseuerauerit usqꝫ in finē hic saluus erit.

INCIPIT HOMILIA EIVSDEM SANCTI LAVRENTII PRESBYTERI DE ELEEMOSYNA.

FRATRES CHARISSIMI OMnis ſcriptura diuinitus inſpirata & ſalubriter ordinata, ut ait Apoſtolus, utilis eſt ad audiendum, apta ad inſtruendum, neceſſaria ad retinendũ, ſuauis ad perfruendũ. Sed ĩter multa utilia & ſalutaria præcepta quæ ſcripta ſunt in diuinis paginis, nulla eſt alia tam efficax, tam ualida & uelox noſtrorũ uulnerum medicina quàm præceptũ eleemoſynæ. Siquidem eleemoſyna non ſolum peccata purgat, & uulnera conſcientiæ curat, ſed etiã animã ipſam de morte reuocat, regnorumq́ꝫ cœleſtiũ facit eſſe conſortẽ. Huius præceptionis uel operis auctor eſt iuſtiſſimus Tobias. Cæcus corpore, & clarus opere, tentatus ad tempus, & non mortificatus. Temporali aſpectu pauliſper priuatus, & perpetuo bonorũ operũ lumine plenus. Hic talibus monitis filiũ præſtruebat. Fili, de ſubſtãtia tua fac eleemoſynam, & ne auertas faciem tuam ab omni paupere: ſic fiet ut à te nõ auertatur facies dei. Tulit etiam ſcrupulũ de animo, trepidè uel dubiè largiẽtis: ut ſiue de multo, ſiue de modico quiſpiam largiri nõ deſinat. Fili ſecundũ quod tibi eſt facito. Si largior eſt ſubſtan-

tia,largius eroga,ſi modica,porrige modicũ. Et noli dubitare dum erogas, noli diffidere dicens, Ne forte ſufficiant nobis,ſed eſto lætus dum erogas, quia hilarem datorem diligit deus. Præmium bonum teſaurizas tibi quod te ſubrigat in die neceſſitatis,quoniã eleemoſyna de morte liberat, & non permittit intrare in tenebras, præmium eſt uitæ perpetuæ. Probaſti eleemoſynæ efficatiam, uidiſti fidum ac ſingulare ſolatium. Hæc nanque ſi fuerit fideliter impertita,non ſolum peccatum euertit,ſed etiam mortem extinguit. Quàm ualidus eſt ignis quãdo ardet,& tamen ualidior eſt adhuc aqua quę ignem extinguit. Quid igitur peccatum? ignis habet uigorem, eleemoſyna aquæ habet liquorẽ. Sic cõparatũ eſt. Stat materia cõtra materiã, ſtat aqua contra ignem,ſtat eleemoſyna contra peccatũ. Audiſtis quid ſcriptũ eſt? Sicut ignem ardentẽ extinguit aqua,ſic eleemoſyna extinguit peccata. Homines cum ſumus in lubrica natura,plerunq; peccãtes non ceſſet anima iuſtitiæ aqua exuberans. Radix omniũ malorũ quid eſt? Auaritia. Radix omniũ bonorũ quid eſt? Eleemoſyna. Et qui nunc uulneratus es per auaritiã,cura te per eleemoſynã,mortuus es ꝑ auaritiã,uiuifica te ꝑ eleemoſynã, exulcerata eſt peccatis aĩa tua,ungeᷓ eã pietatis ac iuſtitiæ ope. Audiſti cõmonitionẽ iuſti, Eleemoſyna de morte liberat,& nõ ꝑmitit ĩtrare ĩ tenebras. Implicauit te cupi-

ditas,habes multa piacula,iaces auaritia præditus, deprauatus luxuria:derogaſti, blaſphemaſti quàm plurimus, ſæpe mentitus es, pleruncꝫ peieraſti. His nequitiæ partibus,aliiſcꝫ ſimilibus obruta eſt mens, cõuulſa eſt cõſcientia.Quid modo? Nunquid deſperãdũ eſt inter hæc? Nõ ſic iubet dominus.Sed quid præcipit? Facite,inquit, eleemoſynã & fiunt in uobis omnia mũda.Noli temetipſum in talibus deſperare,ſed declina à malo, & accelera facere bonum. Deus te non deſpicit , & tu deſperas ? Erraſti in auaritia,emẽda te in eleemoſyna. Polluit te immũditia,purificet iuſtitia. Si enim ex animo erogaueris,non ſolum mundaberis peccato,ſed etiam laudat te Propheta, iuſtitiamcꝫ tuam prædicat dicẽs, Iucũdus homo qui miſeretur & fœnerat:hic enim in ſeculo non cõmouebĩt.Quare? quia diſperſit dedit pauperibus iuſtitia eius manet in ſæculũ ſæculi, cornu eius exaltabitur in gloria. Si ſic ſapit homo peccator & intelligit ſolicitus pro ſe, ſi alit indigẽtes & adiuuat miſeros.addit illi Propheta ampliorem laudem dicens,Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem,in die mala liberabit eum dominus.Nec liberat tantum,ſed liberatum conſeruat, uiuificat,ac beatificat.Si iuſtum inuenerit eleemoſyna,cumulat eum meritis, ſi peccatorem, abſoluit à peccatis.Si ægrotum,ſubleuat à doloribus. Dominus,inquit,adiuuet eum ſuper lectum doloris eius.

Quem?

Quē? illũ ſcilicet qui intelligit ſuper egenũ & pauperē. Hæc quæ diximus Dauitica ſunt. Ecce Salomonis adhuc ualidiora ſolatia, quæ miſericordiæ medicina fouēt ægrotantes, fulciunt titubantes. Cōclude, inquit, eleemoſynam in ore pauperum & ipſa exorabit pro te in die malo. Quid eſt hoc quod dicit? fiat apertũ. Habes multarum offenſionum & peccatorũ congeſtam molē: Quam cum ſolus non potes ab animis tuis depellere, noli tediari, adeſt auxiliũ. Si uis, prope ſunt adiutores. Aperi oculos tuos & percipe in pauperes. Ipſi enim ſunt in tali opere adiutores. Eroga quantum ualuerit manus tua. Cōclude eleemoſynã in ſinu pauperũ, & ipſa te eruet. Fac eleemoſynam, & moles illa criminum quam timebas momento minuitur, & a conſciētia labitur. Studioſus agricola uicinos ſuos ad opus plerunq; īuitat, ut agris ſuis uel uineis tēpore oportuno adhibeat competētē culturã. Ne ſi neglexerit dũ ſolus non euincat, aut præualet, aut ager ſpinis ſordeſcat, aut uinea ſarmētis ſylueſcat. Ille adiutores ſibi adiungit operarios quæ multiplicat in terrena cultura, & tu agrũ cordis tui uineamq; animi, dũ ſolus colere uis relinquis deſerta? Homo, aduerte quod dicitur. Spiritalis eſt iſta non carnalis cultura. De eleemoſyna conduc operarios. Quos? Cæcos, claudos, debiles & alios his ſimiles. Hi ſunt operarii parua mercede conducti, qui purgant agrũ cordis tui,

& renouant uineam ut fiant in te per culturã eleemosynæ & ager frugifer & fructifera uinea. Conclude eleemosynam in ore pauperum & ipsa orabit pro te in die malorum. Dies malus uel malorũ quis est? nisi dies iudicii, dies terribilis futuri examinis. Prouide tibi homo, compone uineas tuas, colloca te hic in ore pauperum. Conclude eleemosynam tuam in esurientium uictu, ut dies ille tremẽdus non tibi in metu ueniat sed in uoto. Ille nanq; dies properat qui strictis hominibus amarus emergit, misericordibus uero optabilis est & affabilis. Conclude eleemosynam in ore pauperum, & ipsa exorabit pro te in die malorum. Tu taces, & eleemosyna quã fecisti deprecatur pro te. Quod in silẽtio fecisti, in ore pauperum publicatur. Bonũ quod latenter fecisti in lingua indigentium prædicatur. Remissio delictorum tuorum, in ore eorum resultat. Conclude eleemosynam in ore pauperum, & ipsa pro te mitigat iram dei. Mitigat iram dum abluit crimina. Os pauperum corrigitur tibi in baptisma, & uenter esuriẽtium satiatus, indulgentiæ tibi aquam exũdat. Parum est quod eis impartitur, & multum est quod ab eis nascitur. Hortatur ipse dominus per prophetam, Frange esurienti panem tuum. Quid pro hoc recepturus? accipe euangelicam sponsionem, Venite benedicti patris mei possidete regnum paratum uobis ab origine mundi.

Quare? non quia ſuperbi aut diuites fuiſtis,aut potentes in mundo prædiis: ſed quia eſuriui & dediſtis mihi manducare. O commutatio. Panem dediſti eſurienti, & percepiſti regnum.Quantam pecuniam profundit homo in hoc mundo, ut aut mãcipia aut prædam comparet. Regnum ſupernum tibi uendit CHRISTVS, tam uiliſſimo precio, & comparare diſſimulas? Noli diffidere, frange eſurienti panem tuum, nutri indigentem, ueſti nudum, foue peregrinum, & poſſide regnum, non terrenum ſed ſupernũ.Clamat pater de præcedente uolumine, frange eſurienti panem tuum.Reſpõdet & filius de euangelica pagina,Eſuriui & dediſti mihi manducare. Concordant ſibi utriq; ſonus. Quod pater anticipauit in prophetis, hoc filius in ſua perſona ſuſceptum impleuit.Factus eſt pauper ut tam pauperes foueret, quàm diuites commoueret. Factus eſt pauper ut culpas diuitum in pauperibus emendaret,& uitia eorum in eleemoſynis expiaret. Ob hoc dicet, Eſuriui & dediſtis mihi manducare,& quia me refeciſtis,recipite econtrario regnum.Quale regnum? In regno iuſto quod CHRISTVS donat qui eſt paradiſus.Et in paradiſo qd eſt? Lignum uitæ.Et in ligno uitæ quid? manna abſconditum. Hoc ipſe dominus in alia ſcriptura ꝓmittit, Vincenti,dabo lignũ uitæ,& manna abſconditum

quod eſt in paradiſo dei. Qui ſunt autē uicturi quā illi quibus dixit. Venite benedicti patris mei poſſidete regnū paratū uobis ab origine mundi. Eſuriui & dediſtis mihi mādu care, ſitiui & dediſtis mihi bibere: Nudus fui & dediſtis mihi indumētum. Ecce palma & præmia. Pro pane modico quē dediſti, accepiſti manna abſconditū: Potū porrexiſti & paradiſum recepiſti. Si ergo uideris eſurientē, frange illi panē tuum: Si uideris nudū da illi ueſtimentū. Et hoc cū feceris, non donas ſed debitū ſoluis. Quid iubet dominus? ſi uideris, inquit, nudum, ueſti, & hoc tu non fœnore facis. Qui iubet hoc facere tibi uult mederi, & uicē tibi repēdit ille, qui utrūq; repēdit. Videt enim ille in paupere quidem corporis nuditatem, in te autem animi fœditatem. Ergo ſi uideris nudum ueſti. Et quando illum texeris, ornaſti animam tuam peccato ſpoliante nudatam. Tu illum texiſti corporea tunica, ille de te expulit fœditatem. Mox ueſte tua cum texeris uiſcera indigentium, reformat ille in te baptiſmatis ueſtē, & retexit tunicam quā acceperas ex aqua & ſpiritu. Nō enim poteſt homo munera lauacri inlibata ſeruare, nec purus ſemper perſiſtere noxia ſibi incumbente natura. Verū cū ſæpiſſime lubricus incedat, & offenſas incurrat, opera faciunt indulgētiā, pœnitētia reformat puritatem, oratio præſtat abolere remiſſionis

remiſſionis fontem. Lacrymæ abluunt fuſcam tu=
nicam,eleemoſyna reddit candorem. Hæc exercẽs
erit tibi intra te quotidiana oblatio,quotidiana re=
miſſio. Ille eſt fons refrigerii,ille eſt remiſſio tuorũ
criminũ,qui dixit tibi,Eſuriui & dediſtis mihi mã=
ducare,nudus fui & dediſtis mihi indumẽtum. No
li tu intendere mendicum aut peregrinũ, captiuum
aut nudum,ſed CHRISTVM qui in his loquitur
contemplare. Aut non audiſti quid ait? Quãdiu fe=
ciſtis uni ex minimis iſtis, mihi feciſtis. Sed dicis,
CHRISTVS dei filius qui in pauperibus paſcitur,
cur nõ magis ipſe opulẽtat inopes,exaltat humiles,
erigit indigẽtes,cum ipſe ſit omniũ prouiſor & lar=
gitor? Qui hoc opponit audiat ediuerſo. Forte æſti=
mas eſſe homo illi aliquid impoſſibile? Non æſti=
mes homo,ſed audi quid eſt. Si enim omnes homi=
nes feciſſet æquales,ubi erat fidei exercitiũ,ubi ex=
perimentũ uirtutis? ſi feciſſet omnes diuites,omnes
licenter delinquerent. Et ſi ita eſſet, unde ueniret re
medium? aut unde manaret remiſſio? unde erat in=
dulgẽtia expectãda? Prouidentia ergo diuina ape=
ruit nobis peccantibus medicinæ armarium,ut face
ret ſicut ſcriptum eſt,& diuites & pauperes & hu=
miles & excelſos. Vt quoniam diuites per exube=
rantiã rerum proni ſunt ad uitia,ac per intemperã=
tiam plerunq; labũtur,haberẽt coniunctos ſibi in=
digẽtes uelut fonte lauacri,aut ut plus dicam,uelut

flumen Iordanis ubi CHRISTVS tinctus est, in quo per eleemosynæ largitatẽ diurna superẽt delicta. Et quidẽ in Iordane semel tinctus sanctificabit aquas. In pauperibus autẽ semper manet, & assiduè abluit crimina largiẽtiũ. Dedit itaq; CHRISTVS nobis uelut indulgentiæ indices. Quos? cæcos, claudos, debiles, paralyticos, quin etiã orphanos & uiduas, pegrinos, pselytos & aduenas, atq; huiusmodi hoĩes omni auxilio indigẽtes, ut in his quicunq; sunt opulẽtiores pium prætendãt affectũ. Flectãtur faciles ad ægra ac debilia corpa, animasq; uexatas. Faciãt sibi tales amicos, iuxta euangelicã doctrinã, de infideli mãmona, id est de breuibus rebus, ut cũ defecerint hic, recipiant eos in æterna tabernacula. Et idcirco diuites nolite despicere inopes, nolite respuere indigẽtes, sciẽtes quòd amici sunt animarũ, & medici uulnerũ internorũ. Ager est iuxta te, sparge semen tẽpore cõpetenti, & esto fidus, quia nõ te fallit ista cultura, hic seris, & alibi metes: Spargis modicũ, & colliges multũ. Quicqd dederis colligitur, ibi in supno cellario, quicqd porrexeris, pficit in futuro. Nunqd nõ potest CHRISTVS ditare mẽdicũ? nunqd nõ ualet modo illuminare cæcũ, curare claudũ, strĩgere paralyticũ, mundare leprosum? ualet quidẽ, sed dissimulat in te, ut p hos aliorꝫ debilitates excludat, & ægritudĩes effugiat: nã cum sint debiles, fiunt tñ delinquẽtiũ medici, nõ ipsi, sed ille qui dixit, Quandiu fecistis his, mihi fecistis. CHRI

STVS eſt in eis medicus,qui p eos ſanat diuitũ de-
linquẽtiũ uulnera,ut cũ tẽpus expectatũ uenerit,&
paupes ſuos exaltet ĩ gloria,& diuites iuſtis opibus
deditos recipiat,ſicut dixit,ĩ æterna hoſpitia. Vnde
fratres dilectiſſimi & optãdi amici retinete hæc,&
ſup hæc adhuc diſcite alia.Necdũ eñ patuit mea do
ctrina,replicãda eſt euangelica forma,& inde pãda
mus q̊d pfectũ eſt.Eleemoſynæ nõdũ pfectionis ty
pum oſtẽdimus.Typũ eleemoſynæ ſuis præceptis
decreuit Saluator. Attendite,inqt,ne iuſtitiã ueſtrã
faciatis corã hoĩbus. Si mercedẽ ſperatis cœleſtem,
humanũ debetis declinare aſpectũ.Sufficit illũ uide
re opus ĩ ſecreto,q opepreciũ reddit ĩ publico.Quid
q̃ris hoĩem ſcire, q̊d deo reſeruas? aut qd opus eſt
homini uidere q̊d deus remunerat.Sufficit cõſciẽtia
tua,habes teſtẽ opis tui, In te patet illi,q̊d latet ho-
mini.Si plaudis,nõ places,ſi hoĩbus placere uis,diſ-
plices illi qui docuit.Si diſplices minoraſti iuſtitiã,
uulneraſti gratiã,uiolaſti mercedẽ. Deniq; ſic ſub-
iũgit idem doctor,Si hoĩbus placere uultis merce-
dẽ nõ habetis apud patrẽ cœleſtẽ.In ſimili negotio
etiã pnũtiauit Apl̃us,Si hoĩbus placerẽ CHRISTI
ſeruus nõ eſſẽ.Cũ igĩt facis eleemoſynã noli tuba ca
nere ante te,ſed tace,& ſupprime intra te factũ tuũ.
Noli tubicinare ne uulneres opus tuũ,noli pdere q̊d
feciſti.Operæpretiũ perdidiſti,ſi laudari ab hoĩbus
uoluiſti. Sufficit tibi hoc,habes mercedẽ tuã. Tales
hoĩes hypocritas appellauit ſermo diuinus.Sic inqt

faciunt hypocritæ in ſynagogis & in uicis. Erogãt publicè, ut publicè præferantur, nõ à deo, ſed ab hominibus. Dedit itaque dominus pulchram ac uerecundã operis formam quando tales prohibet imitari, & iubet in ſilentio operari. Et quid dico in ſilẽtio? Nũquid quãdo facis eleemoſynã aut opus aliquod gratum, poteſt latere? Abſit. Nam te tacente, ipſa opera clamant & publicant factũ tuũ, te enim ignorante præferunt multi iuſtitiam tuam, & eleemoſynam prædicant. Germinatur tibi gratia quia ſilenter egiſti. Ab hominibus accipis plenã laudem quia tacuiſti à deo perfectã mercedem, quia quod iuſſit, feciſti. Quid iuſſit, aut quid præcepit? ut non tuba caneres ante te, id eſt ut non ipſe præferas ſed alii. Nam & fructifera arbor non loquitur quidẽ, & tamen ex fructu cognoſcitur. Et apes quãdo cerarum cellas intexunt, quando mel conficiunt, & dulci diſtendunt nectare fauos, nõ in publico opus exercent, ſed ſub uili cortice cluſæ laborant, & inde poſt modũ gratia dulcoris erumpit in publico; nec immeritò dictũ eſt, Quia breuis in uolatilibus apes, & tamen primatũ dulcoris habet fructus eius. Retine ergo præceptum modicũ. Fac eleemoſynam, abſconde penes te, ſit intra te cella tua, ut quod tu tegis ab aliis prædicetur: & tunc remuneratur à CHRISTO qui dixit, Quando facis eleemoſynam neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. Diſcu-

tiēdus ſermo,requirēda ſentētia. Quid eſt hoc? Nū quid diſpar eſt homo intra ſe in uno corpore, ut ſit alter in dextra, alter in ſiniſtra? abſit. Idē homo eſt qui habet & dextrā & ſiniſtrā. Et quomodo poteſt fieri,ut ignoret ſiniſtra quid faciat dextra? nā & ſi manus duæ ſunt in corpore,dextra leuaq́;,ſed animus unus eſt in homīe qui regit utrūq; latus in dextra & ſiniſtra. Liquet igitur & nō eſt ambiguū, quod in hoc præcepto,altius aliquid introducitur, & ſublimius ītelligitur. Duplex eſt plane homo intra ſe. Et cū ſit unus diuiſus tamē in dextra & ſiniſtra. Diuiſus,quomodo? nō animo ſed ope, nō mente ſed moribus. Habetq́; bonū & malum: bonū in dextra,malū in ſiniſtra. Præcepit dn̄s, neſciat ſiniſtra quid faciat dextra, quod a nobis ſic intelligi ſolet,tanquā ſi ita dictū ſit: Siniſtra facit malū,non illi cōſentiat dextra: id eſt,ſi corpus tuū delinquere cogit, nō illi aſſentiat anima. Quid eſt in hoīe dextra nōne pars animæ? Quid eſt ſiniſtra? Nōne pars corporis? Diſce quid introducit: Neſciat ſiniſtra quid faciat dextra. Nūquid quando bonū geritur, caro ignorat,aut quando malum facit caro: anima neſcit? Non eſt ita. Aliter intellige de ſiniſtra & dextra. Tale eſt quod dicit: Quando bonum aliquid conatur facere dextra, id eſt anima, non illi impediat ſiniſtra, quæ eſt caro, ſed tanquam dormiente ſiniſtra, feſtinet dextra furtiuo more operari bonum,

& expellere malum de membris quod dicitur sinistrum, hic est sensus, & hic est intellectus, Dextræ & sinistræ, exponatur apertius & luceat sermo in opere, sinistra tua id est caro errauit, dextra quod est anima, emendet errorem. Potuit enim in homine, dextrũ fieri utrũq; latus, sed ideo dispar factus est in utroq;, ut tam boni quã mali in se fermẽtum retineret. Boni, fermentum in dextra, mali, in sinistra. Quod si distingui potest, sinistra tua induxit te in peccatũ, dextra tua eruat te de peccato. Sinistra peccauit in aspectu, dextra propiciet in secreto. Sinistra fecit prædam, dextra faciat eleemosynã. Quod illa fecit imprudenter, hæc emẽdet silenter. Sinistra rapuit uestitum, dextra uestiat nudos. Illa percussit crudeliter, ista subleuet & sanet humiliter. Illa congessit impietatem, ista sit plena pietate. Illa ĩpressit uulnera, ista imponat medicinã & adhibeat curã. Reatus est in sinistra, remissio sit in dextra. Malum quod sinistra ingessit, dextra repellat, uenenũ illius ista extinguat. Et quid plura? ignis est in sinistra, & est aqua in dextra. Quando flagrat, in sinistra ignis peccati, pluat in dextra iustitiæ aqua, & nihil est tunc quod noceat. Dum imples illud quod dictũ est, Sicut aqua extinguit ignẽ, sic eleemosyna extinguit crimina. Hic manifestũ est quia nec peccatũ desinit in hoĩe, nec fons, nec remissio deficit unquã. Sed diuisus homo in sinistra & dextra, ipse sui

arbiter eſt,aut perdit,aut inuenit,quid tu adhæc?ti- mes forte,ne ſiniſtra ſuperet. Noli uereri, plus ualet ſi uoluerit dextra. Et ſi inimica eſt ſiniſtra q̃ dãnat, ſed amica eſt dextra q̃ ſaluat. Et ſi illa inquinat, ꝓti nus iſta ſanctificat. Validior eſt aqua in dextra, quã ignis ĩ ſiniſtra. Nã ubi exuberauerit illa, mox iſtius flamma ſubigitur. Scito itaq; quia & ſi flamma eſt delicti in corpore, ſed fons eſt diuinus in corde, flã- mas membra miniſtrant, fontem mens exprimat. Sic fiet, ut quod inquinauerit ſiniſtra, ſanctificet de- xtra. Siniſtra diurnum habet inquinamentum, & dextra diurnam habet abſolutionem. Vt quod pol luitur in ſiniſtra, purificetur in dextra. Homo ſa- piens intelligit hæc. Eſto prouidus, eſto proficuus ſanctis, quoniam ſupernus continuo uenturus eſt iudex diſcutere actus ſeruorum ſuorum, & nuda re ſecreta. Sanctis quomodo fœneratur cœleſtis, ue nit erogatam pecuniam exigere cũ uſuris. Et quæ eſt iſta pecunia quàm euãgelica obſeruantia? uerba ſunt uitæ ſeminata. Venit ſator ille ſeminis ſui col ligere fructus, pecuniæq; ſuæ exigere pẽſas. Si feci- ſti qđ mãdatũ eſt, dicit tibi, Euge ſerue bone, & fide lis qa ſuꝑ pauca fuiſti fidelis, ſuꝑ multa te conſtituã intra ĩ gaudiũ dñi tui. Vis ſcire q̃lis quãtusq; ſit iſte q uenit, par eſt trinæ uirtutis, princeps ẽ angelorũ, impator ẽ ſupnæ militiæ. Dñs ẽ cœlorũ, guberna- tor ẽ terrarũ, ſuꝑ cherubin ſedet & abyſſi ꝓfunda

rimatur. Qui carne uestitus fecit quidem remissio= nem generalẽ in baptisma, in aqua & spiritu, sed uẽ turus est nunc exigere debitũ. Non illud quod pri= us indulsit, sed quod post lauacrũ aquæ, ab uno quo contractum est, & non est pœnitudine deletũ. Ha bet iudex iste in manu sua staterã in qua perpendit inter duo pondera, unum meriti, & unum peccati. Præuide te homo, senti pondus tuũ, antequàm ue= niens ille in sua te statera suspendat. Consydera sta tum tuum & esto tibi ipse statera. Sta tibi de corpo re tuo statera. Duæ manus tuæ, duo sunt calculi hinc atq; inde in statera pendentes. Vides quomo= do ipse tibi es statera: perpẽde cor tuum & consciẽ tiam: Perpende animam tuam, membra que ipsa in statera prius quàm diuinum examen incurras, sit animus tuus arbiter factorum tuorum ponde= rũq; inspector tuorum. Inspice diligenter quid te= net dextra aut quid gerit sinistra, Habes scilicet ma lum in sinistra conditum, meritum in dextra colle= ctũ. Vide quid plus est in opere tuo, aut quæ pars in actibus tuis exuberat sinistra an dextra, & uult te collidere. Noli cedere qa scriptũ est tibi, noli uin ci a malo, sed uince ĩ bono malũ. Molesta tibi est si= nistra & quærit te subdere. Intrat opportunè uexat te uehemẽter, collidit frequẽter, & capit iugiter, pra uo põdere urget aĩam, & morsus feralis ĩfligit dẽ= tes ĩ te. Cõcupescẽtiæ carnalis ĩfigit, ĩternaq; latera

tua

tua uitiorũ ſuorũ unguibus ſulcat. Quãdo uideris tu ꝙ pars iſta inimica cõcreſcit in malo, armiſq́ꝫ hoſtilibus ſtipata, ſiniſtra q̃rit te expugnare, caſtraq́ꝫ pectoris tui conat̃ euellere, tu noli terreri, ſed redi in ſenſum tuũ, & ibi inuenies adiutorem deum. Si tamen illum times, & futurum eius iudiciũ reformidas. In hoc loco, in iſto certamine non ignoret ſiniſtra, ſed ſciat magis quid faciat dextra tua. Sciat quod ignorat aduerte diligenter quando ſtrepit ſiniſtra in malis, id eſt quando multiplicat caro partes aduerſas contra uirtutem animæ, & exaggerat crimina. Stet dextera tua obnoxia contra partes peſtilentiæ, contra arma hoſtilia, contra effœminata uitia, contra peccata & crimina, ſtet dextera tua armata, id eſt fides robuſta, ſpes, ſtabilitas amore copulata, Obducat ſcutum fidei, inducat loricam ſpei, obijciat iuſtitiæ haſtam, intẽdat orationis arcum, erigat eleemoſynæ trophæum, & confeſtim non ſolum cedit per aduerſa, ſed etiam cadit eliſa. Iacet in uulnere & ſuccumbit uictoriæ. Quæ diximus euidentius repetamus. Hoſtiliter te ſtimulauit caro, ſtrinxit cõditio ut deliqueres, peccaſti, crebro offẽdiſti, preſſa eſt mens horrore, triſtis eſt aĩa uſqꝫ ad mortẽ. Superfluat menſura criminũ in ſiniſtra, claudicat ĩ ſciẽtia, nutat ſtatera tua, & dextera tua lance ſuſpẽſa totũ põdus diuergit in ſiniſtrã. Cum hæc uideris dic ad animã tuam, anima ubi es? quid

actura es? inter hæc quare non clamitas? malum ui des imminere & taces? cur non uigilas? mortẽ cernis incumbere & tu non aſpicis. ubi reſides pigra? ubi iaces reſupinata? dextera tua dormitat, & non illam excitas, pateris ut te uincat ſiniſtra, & portionem tuam iungas cum perituris? Quid factura es ſuperata à carne cum cœperis cũ ipſa experire ſupplicia? ſiniſtra ſatagit, & debet dormire dextera, ibi plena eſt menſura, & hic debet exiſtere uacua? ſiniſtra ualet in uitijs, cur non magis dextera in uirtutibus uiget? cur non magis minuitur ibi peccatũ, & hic additur meritum? quare nõ liqueſcit nequitia, & augeſcit iuſtitia? Iudicium dei uides īminere & ſtupes? thronus tremendi iudicis in flammeis ardet rotis, ut Daniel ait, & non trepidas? fluuius currit flãmineus qui globos flammarum uoluit, & tu ſoluta iaces? an neſcis quòd fluuius iſte peccatoribus permeat, & nõ in pœnitentibus murmurat? non audiſti quid adnuntiat Eſaias? Ecce dies domini inſanabilis uenit, dies iræ & indignationis, ponere orbem terræ deſertum & peccatores perdere ex eo. Plange tua ſcelera, corrige te confeſtim, & trãſfer te de ſiniſtra ad dextrã. Nõ eſt ambiguũ, apertè ſonuit, quia deus peccatores exterminat. Peccatores dixi, tu ſi pœnitentiã egeris, iam nõ te perdit ſed ꝓtegit. Si cõpũctus fueris à peccatis, iã nõ te damnat. Minaci quidẽ uoce, & terribili tuba teſtificat̃ Pro-

pheta dicens, Ecce dies dñi insanabilis uenit ponere orbẽ terræ desertũ, & peccatores ꝑdere ex eo. Verùm nõ ideo deus minat̃ ut ꝑdat, sed testificatur ut corrigat, increpat ut cõponat, obiurgat ut eripiat, ĩsurgit nõ perimẽtis metu, sed miserãtis affectu. Cæterũ si ꝑcutiat orbẽ & ꝑdat pctõres, ubi ppl̃us ĩteger quẽ sibi acq̃siuit sanguine suo, & passione redemit. Sed dicis, ostẽde mihi quæso q̊ tenore possum exonerare sinistrã, & cumulare dextrã. Hoc q̊d interrogas nõ est incognitũ. Nunq̃d latet aspectũ tuũ aut ars est quã nescis? Vbi uideris q̃a dominat̃ tibi lex peccati, imperãt uitia, crebrescũt crimina, omnis sarcina declĩat ĩ latus sinistrũ. Noli cedere aut q̃esce re, sed ĩcita temetipsum. Recurre ad arma cõtraria & præcinge te ĩ dextra tua, implẽs illud q̊d cecinit Dauid psalmista, Accingere, inq̃t, gladio tuo quem uicit sinistra, quẽ suꝑauit segnitia, quẽ strauit nequitia. Accingere gladio tuo circa femur potẽtissime. Qualẽ gladiũ? specie tua & pulchritudine tua. Tibi hoc dicit, qui criminibus cedis, ad te loq̃tur q̃ criminibus uĩceris, te cõmonet & cõpũgit pctõr. Vicit te pars sinistra, ꝑcipiet te ĩ factũ tuũ, plora cõpũctus ut possis reciꝑe speciẽ cordis tui, & pulchritudinẽ corporis. Quid uult eẽ? errasti ĩ lũbis, offẽdisti in femore. manifestũ ẽ, q̃a ubi lũbus ibi libido, & ubi femur ibi fornicatio. Quid ergo fœdasti femur tuũ carnali libidĩe? reforma illud pulchritudĩe spiritali. Stuprasti lũbos tuos ĩ fornicatiõe, noli diffidere, sed extrue

bellum contra ſiniſtram,& contra corporeũ peccatum,contra ſtuprum uel adulteriũ.Femur te fœdauit,femur te reformet atque recuperet. Accingere inquit,gladio circa femur potentiſſime.Te corripit ſermo propheticus quia peccaſti.Fuiſti profuſus in libidine,eſto potẽtiſſimus in uirtute. Laxaſti membra tua in luxuria, reſtringe uiuacitate armorum. Arma lumbos cordis tui, orna femur animæ tuæ, ut corporei femoris eximas fœditatem,euellasq́ȝ de uiſceribus tuis plagas. Accingere gladio tuo circa femur tuũ potẽtiſſime.Quis eſt iſte gladius? ipſe dicit,Specie tua & pulchritudine.Et quæ eſt iſta ſpecies quàm uirtus animi, & in ea plena pœnitudo? quæue eſt pulchritudo quàm lacrymæ oculorũ, & largitas eleemoſynę? Et quid deinde? Intende,inqt, proſpere procede & regna. Aperta ſentẽtia eſt.Intende peccator quia peccaſti, proſpere,quia pœnituiſti,procede & regna,quia triumphaſti. Procede cõfidenter quia ploraſti pro peccato,uiciſti reatũ ut perueneres ad regnũ,procede & regna.Plange hic ut plaudas alibi:procede,inquit, & regna. Propter quid? propter ueritatẽ & manſuetudinem & iuſtitiam.Quando ſiniſtra infert & ingerit tibi candentes ſtimulos auaritiæ,luxuriæ,arrogantiæ uel libidinis,ſta contra ſiniſtrã tuã ſuccinctus ueritate,armatus manſuetudine,ornatus iuſtitia,& cum uiceris ſiniſtram,tunc educet te mirabiliter dexter tua.

Tunc uincit dextra, & silet sinistra, fugit impietas, & floret rediuiua pietas. Cadunt crimina, & crescũt merita. Quicquid malum minuitur in sinistra, meritum augescit in dextra. Sic te agente, deducet te mirabiliter dextera tua. Iuxta uerbum Dauiticũ Subduc pondus ex aduerso latere, remoue plagas de sinistra, ut in die iudicii deducat te mirabiliter dextera tua: Imple mensuram iustitiæ. Quomodo? orando, uigilando, lacrymando, erogando, ieiunando: quinetiam parsimoniis pulsando, negligẽdo delitias, & nutriendo disciplinam, fugiendo festiuas dapes, & frugalitatẽ ferendo, deponendo pinguedinem, & diligẽdo pallorem, quando statutam exerces uirtutẽ, exultat dextera tua, & latet sinistra. Deficiente enim nequitiæ sarcina in sinistra, sanctificatio dexteræ tuæ præponderat, & ipsa te deducet mirabiliter in salutem. Vnde frater charissime non te tædium superet, non subducat ignauia, non inter spem & metum alternis motibus æstuantem desperatio frigida perfundat, sed magis concalescat cor tuum dum dubitas, ferueat spiritus tuus in te cum anceps inter utrũque laboras, id est ut inter spẽ & metum, ex meditatione tua exardescat ignis. Erige te in calore cordis tui, & in zelo pectoris concitatus, abutere dextra tua, & emulare sinistram, dicẽs ei, quid mihi & tibi est sinistra? desine, cessa, con

quiesce,noli mihi suadere ut errẽ,noli me subdere, ut offendam. Cur implicatũ tenes,& non permittis exolui? noli me saporibus tuis capere, qui breui tẽpore dulces & postmodũ semper amari: tales sũt sapores tui,qualia dormiẽtiũ somnia. Surrexerũt è somno & obliti sũt q̃ uiderũt, sic tuus sapor,sic tua delectatio,in delictis parum inungit fauces, & post modũ urit animã delectatio tua. O sinistra dolores facis prolixos,nisi fueris repressa,dulce tuũ fit amarũ,fauus tuus in fel cõuertitur. Aut nõ audisti sentẽtiam Salomonis q dixit uias quæ à dextris sunt nouit dñs,ꝑuersę autẽ sũt quæ à sinistris? Nescis tu quia angusta uia est quæ ducit ad uitã? Cur me frãgis & flectis ad latã? Cur me ducis ad spatiosã uiã quæ mihi aperit fauces inferni in quibus picea flãma ardet,& pœnalis caligo exæstuat? sinistra pars tua planctũ ingeminat, ꝓuisio tua tartareas habet tenebras. Cellariũ tuũ curruptas habet species,thesauri tui liquidis ardoribus pleni sunt. Aspis est in ope tuo,antiquissimus ille serpẽs hydra multorũq́; spirat uenenũ, ut spargit pestem auctor scelerũ,nequitiæ armiger. Sinistra in parte tua scandala,quibus dictum est, Discedite a me maledicti in ignem æternum quem præparauit pater meus diabolo & angelis eius: Ignis ardebit ĩ parte tua diabole,aspis antiquæ auctor neq̃tiæ,tibi ꝑꝑatus est ignis & an-

gelis tuis. quid hoc ad hoĩes ꝑtinet? ſiniſtra tua nihil ualet. Nihil ualet pars ſiniſtra, corrigunt ſe homines à peccatis & uiuunt. Deſinunt delinquere, & carẽt doloribus, renuntiãt tibi, & regnant cum CHRISTO, & remãſiſti ſolus cũ angelis tuis. Diabole quid regis ſiniſtrã partẽ? ad te corrigo, uerbũ tibi imputo, te caſtigo: quid gloriaris de parte ſiniſtra? flãma illa gehẽnæ tibi, nõ hoĩbus flagrat, camini tartarei tibi ſunt præparati & angelis tuis. Quare? quia aduerſarius dei es. ſemꝑ erras, & nũquam emendas, ſemꝑ impius & ſeductor, ſemꝑ prodigus & ꝓphanus, atrox in malis & inimicus in bonis: et quia nunq̃ te pœnitet, ideo periturus. Quid hoc ad hominẽ pœnitentẽ, ſuaq́ꝫ peccata cõfitentẽ? plus eſt pœnitẽtia q̃ tua peſtilẽtia. Plus ſunt lacrymæ hominũ q̃ tui inſidioſiſſimi laquei. Amplius eſt eleemoſyna q̃ tua inqnamẽta, ſolicitudo ſoluit peccata, uigilãtia uincit nequitiã, cõpũctio eradicat crimina. Inimice diabole fallax quid fingis terrorẽ? parũ eſt q̊d uereor donec cõuertar ad CHRISTVM qui me ſaluauit. Video pc̃tã mea, & pauca cõſydero cõmiſſa mea, & horreſco donec cõuertar ad dñm. Stãt ante me facinora mea q̃ſi turris ferrea, ac murus æreus donec memetipſum uideã, & donec ſitiẽs ãplectar CHRISVM ĩdulgẽtiæ fõtẽ, teneãq́ꝫ pedes eius q dixit, Nolo mortẽ pc̃tõris q̃tũ cõuertat ſe à uia ſua mala

uiuat. Si hoc fecero murus æreus momento collabitur, turris ferrea fulminata dispergitur. Aries em̃ pœnitentiæ subuestit peccata, & subruit crimina. Cadent ante fletum pœnitentis quasi caduca folia à uento concussa, aut quasi plumæ uolitantes uento impulsæ. Adest dominus oranti, præsto est excubanti, eroganti'q; CHRISTVS protector excelsus, munificus atque liberalis indultor, & tota illa peccatorũ sarcina quã uerebaris, ut cera liquescit, ut fumus fugatur, ut uapor exinanitur, aut quasi lanugo combusta deperit. Postquam sic castigaueris sinistras partes, & cum hisdem partibus ipsum diabolum prostraueris, conuerte te ad dextram, & loquere illi, multiplicãs ad eam exhortatoria uerba, sic dicẽs, Dextra mea deo sacrata, saluatrix animæ meæ, firmatrix cordis, munimen corporis, tu noli dormire sed uigila. Opus tuum dulce est, actio tua melliflua est, uigilantia tua uiuificat. Expande te ad preces pariter cũ sinistra, erige te ad superna subsidia. Commoue uenas tuas, & conquire remedia, confunde inimicum, & contere peccati ministrum. Quomodo eum confundis, aut quo itinere cõteris, nisi in opere dei, in obseruatione euãgelica, in ordinatione disciplinæ, in ordinatiõe largitatis? Dextra fac opus iustitiæ: Respice famelicos, uesti nudos uisita ægrotos, suscipe peregrinos, solue cõpeditos

foue

foue captiuos,cõſolare cõpũctos:ſi ſic feceris,eruiſti me de mœrore,liberaſti de muſcipula.O dextra nõ uides,ſequit ſiniſtra,& ſupplicia cõgerit,ſiniſtra te uĩcit & dormis, ſerpẽs te mordet,& duras?nõ uides ꝑtes aduerſas turbatas,& inſurgẽtes turbines?uenti ſpirant aduerſi,mare inſurgit ſuper te,peccati pelagus urget animam tuam,ſtridẽt in membris tuis iniquitatum procellæ,& nõ excitaris ſed negligis? non ſtimularis,ſed torpes?Dextra gubernatrix ſta in puppe,& dirige proram,extende uela, arma nauem.Ecce pericula imminent, ecce ſcopuli ante te, ecce horrendi cautes,naufragia in latebris inſtãt & & non uigilas?eſto peruigil,eſto amator bonorum operum , eſto bellatrix pœnitentiæ , te enim triumphante uiuo ego in uirtute dei,& euado noxias partes. Extende ad iuſtitiam, imple pugillum tuũ cœleſti ſemine:iacta ſemen pœnitentiæ, & collige fructus indulgentiæ.Noli dormire dextra, ſed fac opera quæ à te CHRISTVS expectat. Emenda errorem meum,dele dolorem meum,collige meritum quod diſperſi, repara quod amiſi, ſed integra quod minoraui. Fornax flammat criminum, & tu ſiccas operis tui fontẽ? peccata præualẽt,& tu ſubtrahis pietatis præſidia? Da rorem tuũ & refrigera in me quod æſtuat in calore. Timeo nanque ne dormientem ſiniſtra ſuperet,& rapiat me.Diripiẽ-

do ad funera sic te excitantem dextram, & obiurgãtem sinistram suscipit CHRISTVS & amplectitur. Disrumpit uincula tua & deducit tanquam lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum meridiano splendore illustrat. Vt dextra eius uisitatus gratiaꝗ donatus, & munere accumulatus, non tristis abscedas inutilis, sed gaudeas cum iustis ad dextrã uenientibus in æterna requie permansuris.

EXCVSVS EST PARISIIS APVD MICHAELEM VASCOSANVM VIA AD DIVVM IACOBVM SVB FONTIS INTERSIGNIO.

1522, Mens. Decẽb.